Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



eius virtutis Dei et emanatio est quaeda
claritatis omnipotentis Dei sincera.
Et ideo nihil inquinatum in illam in-
currit. Candor est enim lucis aeternae
et speculum sine macula Dei maiesta-
tis et imago bonitatis illius. Et cum
sit una omnia potest et permanens in
se omnia innovat et per nationes in
animas sanctas se transfert. Amicos Dei
et prophetas constituit. Neminem enim diligit
Deus nisi eum qui cum sapientia inha-
bitat. Est enim haec speciosior sole et
super omnem stellarum dispositionem.
Luci comparata invenitur prior. Illi enim
non succedit nox. VIII.
Sapientiam autem non vincit mali-
tia. Attingit ergo a fine usque
ad finem fortiter et disponit
omnia suaviter. Hanc amavi et ex-
quisivi eam a iuventute mea et quae-
sivi sponsam mihi eam assumere
et amator factus sum formae illius. Ge-
nerositatem illius glorificat contubernium
habens Dei. Sed et omnium Dominus
dilexit illam. Doctrix est enim disciplinae
Dei et electrix operum illius. Et si di-
vitiae appetuntur in vita, quid sapientia
locupletius quae omnia operatur? Si autem
sensus operatur, quis horum quae sunt
magis quam illa est artifex? Et si
iustitiam quis diligit, labores huius
magnas habent virtutes. Sobrietatem
enim et prudentiam docet et iustitiam et vir-
tutem, quibus utilius nihil est in vita
hominibus. Et si multitudinem scientiae
desiderat quis, scit praeterita et de futuris aesti-
mat. Scit versutias sermonum et dissolu-
tiones argumentorum, signa et monstra
scit antequam fiant et eventus temporum et
saeculorum. Proposui ergo hanc adducere
mihi ad convivendum, sciens quoniam mecum
communicabit de bonis et erit allocutio
cogitationis et taedii mei. Habebo propter
hanc claritatem ad turbas et honorem
apud seniores iuvenis et acutus in-
veniar in iudicio et in conspectu poten-
tium admirabilis ero et facies principum
mirabuntur me. Tacentem me
sustinebunt et loquentem me respici-
ent et sermocinante me plura ma-
nus ori suo imponent. Praeterea habebo
per hanc immortalitatem et memoriam
aeternam his qui post me futuri sunt
relinquam. Disponam populos et nati-
ones mihi erunt subditae. Timebunt
me audientes reges horrendi, et in
multitudine videbor bonus et in bel-
lo fortis. Intrans in domum meam con-
quiescam cum illa. Non enim habet
amaritudinem conversatio illius nec tae-
dium convictus illius, sed laetitiam et
gaudium. Haec cogitans apud me
et commemorans in corde meo quoniam im-
mortalitas est in cognatione sapien-
tiae et in amicitia illius delectatio bona
et in operibus manuum illius honestas sine
defectione et in certamine loquelae illius
sapientia et praeclaritas in communicatione
sermonum ipsius, circuibam quaerens
ut mihi illam assumerem. Puer autem
eram ingeniosus et sortitus sum ani-
mam bonam. Et cum essem magis
bonus, veni ad corpus incoinquinatum.
Et ut scivi quoniam aliter non possum esse
continens nisi Deus det, et hoc ipsum
erat sapientiae scire cuius esset hoc do-
num, adii Dominum et deprecatus sum
illum et dixi ex totis praecordiis meis.
Deus patrum meorum et IX.
Domine misericordiae, qui fecisti omnia
verbo tuo et sapientia tua con-
stituisti hominem ut dominaretur cre-
aturae quae a te facta est, ut dispo-
nat orbem terrarum in aequitate et iusti-
tia et in directione cordis iudicium
iudicet. Da mihi sedium tuarum assistricem
sapientiam et noli me reprobare a pueris tu-
is, quoniam servus tuus sum ego et filius
ancillae tuae, homo infirmus et exigui
temporis et minor ad intellectum iudicii